Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

inimice iusticie. Datianus dixit. Ergo si times adde formitatem venire, accede et immola diis. Eulalia respondit. Ego immolabo domino sacrificium laudis, et victimam iubilationis. Datianus dixit. Ducite et decollate verbosam quae incidit noxiam, et auferte ab oculis meis perditam. Eulalia hoc audiens ait. Nota tibi faciem meam et vultum ne perearis: sed cum venio accusare te ante thronum iudicis recognoscas faciem meam in illa die. Tunc multi territi et compuncti corde discesserunt, et in domino crediderunt. Eulalia autem extra civitatem decollata est. Et quando percussa est caput eius desilivit ab ea. Et exivit de corpore eius quasi columba. Sepelivit autem eam Donatus presbyter qui eam primus ad martyrium confortaverat. Celebratur autem passio eius iiii. idus febr.

Passio sancte Fusce virginis.

TEMPORIBUS Decii Maximiani. cum magne martyrum virtutes per universum mundum refulgerent, Fusca beatissima a parentibus paganis nata. audiens fidem domini nostri Ihesu Christi animo facta est christiana. Erat enim annorum xv. cum spiritus sanctus flavit in cor eius, et vocavit ad se doctam suam Mauram dixitque ei. Si tu consenseris ut credamus Christo filio dei. erimus vasa sancta. et in illa vita cum illo regnabimus. et ab invicem non separabimur. Eamus pariter ad sanctum noctu Hermolaum. ut me baptizet et nemini hoc dixeris. Sancta Maura respondit. Si merear et ego famula tua credere in Christo in quem tu credidisti. Nocte autem eadem surgentes venerunt ad dei sacerdotem Hermolaum. et baptizavit eas. et crediderunt in Christum filium dei. Post hec cognovit pater et mater quod dereliquerant idola et christianas se esse constituerant. et turbati sunt parentes eius. et fuit luctus immoderatus. Dolebant enim multum quia unica erat patri. Venientes autem parentes eius volebant eam ab intentione religionis christiane revocare. Sancta Fusca dixit eis. Verus est deus christianorum. et dii vestri idola muta ab homine facta. credentes in se perdere possunt. salvare minime possunt. Servi vero pater eius valde iratus. et misit eas in carcerem. putans pena terreri quas blandimentis superare non poterat. et per tres dies cibum eis dare non precepit.

Post hec dolens filiam suam misit ad eas matronas et alias coetaneas puellas que eas a fide Christi cessare facerent. sed minime eas seducere potuerunt. quia dominus deus confortabat eas credentes. Videntes vero parentes quod eas decipere non poterant. venerunt ad filiam suam et dixerunt ei. Filia nostra Fusca audi nos et recede ab hac stulticia et revoca mentem tuam ad deos patrie tue. et non derelinquas tuos. quia unica nobis es.

Ecce nos celabimus malum quod fecisti. sed quintianus preses si audierit quod in hac fide persistas morte morieris. quia credis in Christum qui in tanta passione sustinuit. et quem iudei in cruce dampnaverunt. Sancta Fusca respondit. Christus pro nobis passus est ut nos a passionibus inferni liberaret. et mortem sponte pro nobis suscepit. ut nos a morte seva liberaret. et victor tercia die a mortuis resurrexit. Hominem vero quem pro nobis suscepit. in celum post mundi victoriam reportavit. et expectamus eum in fine mundi iudicem vivorum et mortuorum. reddere unicuique iuxta opera sua. Nam dii vestri quos colitis demones esse comprobantur. et idola surda et muta ex quolibet metallo manu hominis fabricata. Audiens Servi pater eius iratus est valde. et dixit ad eam. Per deos magnos quia si non audieris parentes tuos. et si non sacrificaveris diis. antequam quintianus veniat. male te finiam cum ea que tibi socia dinoscitur. Sancta Fusca respondit. Audi me pater. et recede a cultura deorum. et crede in dominum Ihesum Christum. qui fecit celum et terram. mare et omnia. que in eis sunt. Servi pater eius dixit. Filia Fusca. non audisti quantos viros et mulieres quintianus interfecit. quibus religionis fuit. Sancta Fusca respondit. Stultus timor est. ut plus timeatur humana potestas quam divina. Dii vero vestri sicut dixi et dico. marmorea sculptilia et erea sunt. Omnis qui credit in eis non habebit remissionem peccatorum suorum. sed cum eis erit cruciandus in eterno igne. Audiens autem hec pater eius furore commotus arripuit gladium. et voluit eam interficere. Surgens autem mater eius iactavit se super eam dicens. Non effundam sanguinem eius. sed expectabo adhuc aliquos dies. si forte reminiscatur et convertat se ad deos suos. Sancta vero Fusca una cum nutrice sua Maura gaudens desiderabat pro domino Ihesu Christo vitam finire. dominus autem confortabat mentes in se credentium. Servi vero pater eius egressus immolabat victimas idolo Accaron. ut a fide filiam suam averteret. Alio vero die quintianus persecutor christianorum Ravennam urbem ingressus est. Audiens vero beatissima Fusca una cum nutrice sua Maura talem precem in conspectu domini fuderunt. ieiuniis et orationibus vacantes. die ac nocte. Tu domine Ihesu Christe qui sanctis tuis apostolis et martyribus virtutem fidei dedisti. conforta famulas tuas in timore tuo. ut non valeat insaciabilis diabolus. famulas tuas a via veritatis evertere.

SEDENTE vero quintiano pro tribunali. accesserunt quidam et dixerunt ei. Ecce domine preses filia Servi in hac civitate christiana est. et dicit deos nostros demonia esse. Audiens preses ira commotus ministris iussit ut sanctam Fuscam et parentes eius vinctos ad eum perducerent. Venientes vero ministri invenerunt sanctam Fuscam orantem. sanctum vero angelum iuxta eam stantem. cuius aspectum ferre non potuerunt. Iratus autem preses iussit eos in carcerem mitti. Dum ista dicuntur et alia referuntur. ecce sancta Fusca. cuius iam spiritus sponte erat coronatus una cum parentibus et Maura famula sua ad forum pervenit. Preses vero ad Servi dixit.

B. Idus. febr.